



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 12. De postrema parte Missae usque ad finem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**



agere; & ideò paris valoris sanguinem offerens dices magno spiritu verba illa? *Quid retribuam Domino*, cum sequentibus orationibus quæ sumpto sanguine dici debent.

Quia verò post Communionem aliqua mora intercedit, dum abluitur calix, complicatur corporale, extenditur velum; ea durante eos affectus breviter & ferventer elicies, qui magnis Principibus exhiberi solent, cum alicujus domum dignantur invisere. Primò itaque tantum hospitem adorabis in ejus Divinitate & Humanitate. 2. Gratias ages, quod ad te tam indignum venire dignatus sit, & pro aliis beneficiis generalibus & particularibus. 3. Splendidè eum tractabis præbendo illi omnia, quæ à te desiderat, detestando scilicet omnia peccata; renovando vota, & bona proposita; proponendo ab iis abstinere, quæ illi displicent, & facere semper quod melius est; offerendo te paratum ad omnem crucem & molestiam. 4. Petes à tanto Rege qui omnia potest, quicquid tibi & aliis, vivis & defunctis est necessarium.

s. XII. *De postrema parte Missæ usque ad finem.*

**P**eracta communionem sequitur gratiarum actio, quæ est ultima Missæ pars incipiens à Versiculo, qui Communicatio dicitur, eo quod olim caneretur, dum populus communicabat. Sequentes autem orationes, non solum gratiarum actionem continent, sed etiam postulationem ut dona accepta in te permaneant, & majus quotidie sumant incrementum. Tum dimittitur Populus, & dum ille respondet, *Deo gratias*, iterum gratias ages Deo. Ad orationem *Placeat tibi*, rursus offeres sacrificium purissima intentione, & cum omni desiderio triumphantis ac militantis Ecclesiæ, pro ut ipsa verba sonant. Deinde Populo benedicens uberem à Deo omnibus fidelibus benedictionem, omniumque cælestium gratiarum abundantiam ex animo precaberis, ut nunc in via, postea in patria sanctissimam Trinitatem omnes glorificent.



Leges demum in fine initium Evangelii secundum Joannem cum reverentia & affectu gratitudinis pro beneficio Incarnationis & vocationis ad fidem, & cum desiderio gloriae Dei, ut ab omnibus agnoscat, & glorificetur. S. Augustinus, ut gravissimi auctores testantur, hoc Evangelium aureis literis conscribendum, & per omnes Ecclesias in loco eminenti proponendum esse dicebat. Idem antiqui Christiani tanti faciebant, ut plerique collo appensum ferrent, tanquam alterum Christianae fidei symbolum, ac veluti amuletum contra daemonum vexationes. In prima hujus Evangelii parte agnosces, quantum sit hospes, quem sub panis & vini velamine latentem suscepisti, nempe Verbum aeternum, per quod omnia facta sunt, Filius Dei, Patri consubstantialis, hominum lux & vita, per quem & in quo omnes vivunt & illuminantur. Expendes deinde ne forte ad te pertineant verba quae sequuntur, *Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt*. Sicut enim homini caeco praesens est sol, sed ipsi soli absens est: sic homines terrenis affectibus veluti tenebris obvoluti intimam Dei lucem non vident, nec ab ea illuminantur. haec etiam verba ponderabis, *In mundo erat, & mundus eum non cognovit: In propria venit, & sui eum non receperunt*: ne & haec forsitan in te locum habeant, quod ne contingat, Deum precaberis & timebis. In ultimis denique verbis attendes quod dicitur, *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, & hoc in te adimpleri rogabis: & quia Verbum divinum plenum est gratiae & veritatis, ex hac plenitudine ubertim haurire satages quicquid tibi ad salutem & perfectionem est necessarium.